

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Incarnatio r
cum fonte primo

Salua proprietate utriusque
substantie et in una coeunte
personam suscipitur a maiestate
humilitas, a uirtute infirmitas,
ab eternitate mortalitas, et
ad rependendum conditionis nostre
debitum, natura inuiolabilis nature
est unita passibili, Deusque
uerus et homo uerus in unitatem Domini
temperatur ut, quod nostris remediis
congruebat, unus atque idem Dei
hominumque mediator et
mori posset ex uno et resurgere posset
ex altero.

Leo papa in sermone.

Salua igitur proprietate utriusque
substantiae et in unam coeunte
personam, suscipitur a maiestate
humilitas, a uirtute infirmitas,
ab aeternitate mortalitas, et
ad dependendum conditionis nostrae
debitum, natura inuiolabilis naturae
est infusa passibili, Deusque
uerus homo uerus in unitatem Domini
temperatur, ut quod nostris remediis
congruebat, unus atque idem Dei
hominumque mediator (1 Tim. 2:5) et
mori posset ex uno et resurgere posset
ex altero.

Leo Magnus, *Tractatus septem et
nonaginta*, 21, 2 (CCSL 138, A.
Chavasse ed., p.87, ll.43-51).